



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Octava Conclusio. Cogitationes hominis & affectiones cordis indirctè & coniecturali cognitione Dæmones quandoq[ue] possunt cognoscere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

cogitationes intelligit. 3. Reg. 8. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Psalm. 43. Nonne Deus requireret ista? ipse enim nouit abscondita cordis. Job. 42. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Matth. 9. Cùm uideret Iesus cogitationes eorum. Act. 1. Tu Domine, qui corda nosti omnium. Roman. 8. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Hebr. 4. Discretor est cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, &c. Eandem ueritatem docent sancti Patres. Hieron. super dicta uerba Matth. 9. Ambros. super cap. 2. 1. Cor. & lib. 1. de officijs. cap. 14. S. August. de diuinatione Dæmonum cap. 5. & lib. 2. Retract. cap. 30. Chrysoft. hom. 23. super Ioan. super illa uerba. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. S. Thomas 1. part. q. 57. art. 4. S. Bonauent. in 2. d. 7. part. 2. art. 1. q. 3. & alij alibi. Hinc deducitur: quod nullus etiam Magus, aut diuinator potest cognoscere secretas hominis cogitationes.

Octaua Conclusio. Cogitationes hominis & affectiones cordis indirecte & coniecturali cognitione Dæmones quandoque possunt cognoscere.

PATET: Homo ex effectibus exterioribus sic interiores actus potest cognoscere, iuxta il-

ta illud Ecclesiast. 13. Cor hominis immutat faciem eius: & aliud Matth. A fructibus eorum cognoscetis eos, &c. Ergò multò magis Dæmones, qui maiori naturæ subtilitate sunt præditi.

Nona Conclusio. Dæmones cognoscunt secreta, furtiva, deperdita, & thesauros quæ hominum cognitionem fugiunt.

QVIA cùm sint incorporei, acrimonia sensus, & celeritate motus vigent nec impediuntur interpositione corporum, sed omnia naturalia obiecta perspecta habere possunt. Nullo tamen modo licet homini à Dæmonibus huiusmodi inquirere, vt infrà latius probabitur.

Vndecimum notabile. Artes huiusmodi magicæ & diabolicæ diuidi possunt in diuinatrices & operatrices. Diuinatrices, quarum exercitium maximè versatur in diuinando, secreta reuelando, & responsa accipiendo: Ad quas referre possumus auguria, sortilegia speciatim sumpta, Chiromantia, Spatulamantia, &c. Operatrices, quæ virtute & cooperatione diabolica mirabilia & scelera operantur, vt est Magia propriè dicta, quæ arte diaboli mirabilia ad vanam ostentationem operatur. Ad eandem classem referre possumus incantationem, veneficia amatoria, & maleficorum crimé: quod

Ee cùm